



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XII. Clericus a laico praesentatus, si ab episcopo non fuerit institutus, & appellauerit; licet alius postmodum intrusus fuerit, ab ecclesia debet amoueri, & alius institui.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

Negantis  
factum pro-  
bationes ad-  
mitteri.

nonica fuerit opposita, non proponat. Porro licet negantis factum nulla inueniri posse probatione dicatur, eius tamen qui renuntiationem spontaneam negat, cum implicite & quodammodo replicando inficiatur, super actione sua probationes credimus proferendas, habita nihilo minus, vt decet, ad personarum dignitatem & opinionem relatione.

Assensu  
Causarum  
179.

CAP. X. *Ex decretis Hormisdæ papæ.*

Nullus fidelis, cuiuscumque conditionis sit, occulte nuptias faciat: sed benedictione accepta a sacerdote, publice nubat in Domino. Si quis ergo sacerdos aliquos occulte coniunxisse inuentus fuerit, ab officio triennio suspendatur.

CAP. XI.

*Dunelmensi episcopo & fratribus Reuesbi.*

Proposuit nobis dilectus filius noster Vu. clericus præsentium lator, quod cum ipse ad ecclesiam de \* Vuadher, a Reinerio Flandrensi venerabili fratri nostro Eboracensi archiepiscopo, apostolicæ sedis legato præsentatus fuisset, idem archiepiscopus eum ad ecclesiam non recepit. Inde est quod discretioni vestræ per A. S. mandamus, quatenus si idem archiepiscopus ad commonitionem vestram præfatum Vu. in ipsa ecclesia, quam citius poterit non instituerit: vos rei veritatem legitime inquiratis, & si vobis constiterit ex parte Vu. dummodo idoneus sit, quod ad ipsam vacantem fuerit prædicto archiepiscopo præsentatus, ad eandem ecclesiam auctoritate nostra, amoto illo qui eam detinet, etiam si quis post præsentationem eius & appellationem, quam se ad nos fecisse proponit, incussus est, appellatione remota, cum fructibus inde perceptis post primam præsentationem, eum recipere minime differatis.

Præsentati  
& non ad-  
missi appella-  
tionem tene-  
re.

CAP. XII.

*Eboracensi archiepiscopo; Pars capituli: In eminenti de appellationibus.*

De cetero noueris, quod si sententiam a nobis latam præceperimus per aliquem executioni mandari, & fraus interuenerit, non est facultas executori de negotio toto

ANNO  
CHRISTI  
1179.

cognoscere, sed referri, quoties quæ inciderint, ad sedem apostolicam oportebit.

CAP. XIII. *Eboracensi archiepiscopo.*

In eminenti specula ecclesiæ, licet immeriti, disponente Domino constituti, intendere debemus consultationibus singulorum: & prout Deus nobis reuelauerit, propositas enodare. Consulisti autem, si causa, appellatione remota, commissa, altera partium ante citationem vel post citationem, ante sententiam vel post sententiam, ad sedem apostolicam appellauerit, an appellationi sit in huiusmodi deferendum. Præterea si causa fuerit, appellatione remota, commissa, & alter aduersariorum appellet, quia delegatus iudex non vult super suggestione falsi probationes admittere contra Cantuariensis literas impetratas, an in hoc casu teneat appellatio, quæsiuisti. Dubitas etiam, si duobus fuerit causa commissa, appellatione remota, & alter suo coniudici vices suas commiserit, an ille solus possit procedere appellatione remota, vel ab eo liceat appellare, cum in fine non sit appositum, vt si vterque nequiuert interesse, vnus procedat. Primæ ergo quæstioni respondemus, quod causa, appellatione remota, commissa, appellationi non debet deferri, siue ante citationem, siue post, siue ante sententiam, siue post, fuerit appellatum: nisi appellans, priusquam citaretur, iter arripuisset ad sedem apostolicam veniendi. Quod autem quæsiuisti, si aliquis appellauerit, quia delegatus iudex super suggestione falsi audire probationes recusat, an appellatio teneat, hoc tuam volumus discretionem tenere, quod in eo casu debet appellationi deferri. Ab vno vero iudicum, appellatione remota, in causa procedi non potest, nisi hoc speciale in literis commissoriis exprimat.

CAP. XIV. *Lucius tertius.*

Quoniam ex plenitudine potestatis, &c. *Et infra*: Consulere decreuisti, de quibus personis intelligendum sit, vnã alteri in ecclesiasticis beneficiis succedere non debere: vtrum, scilicet, de sacerdotibus & eorum filiis duntaxat, an & de aliis quibusdam personis. Noueritis ergo quod ad ecclesiastica beneficia nullum secundum Cano-